



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Conon. Mart. 29. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. CONON MART. 29. Maii.

NObilitatem CONONIS inde aestimo, quod totis elementis imperavit. Nam & ruentis fluvii impetum tam diu suspendit, dum homines otiosi transirent; & alias latè campos inundantem ad modestiam revocavit veteresque riparum leges. Sed adeste & parentes, & filii, & officium vestrum discite. Ecce XII. annorum filium pater secum ad tyrannum ducit, idque orat, quod pauci orant parentes: *Liceret secū mori filium videre, vel ante se etiam; suave sibi fore etiam contra aliorum parentum vota, filio oculos claudere. Sciret iudex totum CONONEM non moriturum, si in filio, hoc est, in dimidio sui, viveret.* Itaque simul filium neci daret, si totum occisum patrem vellat. Nec verò non lubens comes iverat ad mortem patri filius utiq; sic scipio fessæ, & morientis aetatis. Sed & facilis aure preces tyranus audivit. Quare utrumque in craticulam abjicit, igne subjecto formidandam; in plumis dices moliter decumbere, Oleo bulliente à flammis persundit; inungi ad luctam crederes. In succensam fornacem immittit; ut inter hortos cum patre filius deambulat. Suspendit patrem, appendit dulcem appendicem filium; flamas iterum subdit, manus invictas malleis frangit. Interē

29. Maii. VITÆ SANCTORUM. 343
terea canere illis arrisit ; vis nosse quam
suaviter ; non dubitavit vocem illis suam
Angelus jungere , quam ut primum illi
audierunt , non placuit jam morari in
vitâ , illuc abjerunt ubi canere Angelos
nunquam non audirent. Ex Baron. ♂
Pet. de Natal.

Frustra appellamur Christiani , si imita-
tores non sumus Christi , qui ideo se viam
dixit esse , ut conversatio Magistri forma es-
set Discipuli , & illam humilitatem elige-
ret servus , quam sectatus est Dominus.
S. Leo serm. 5. de Nat. D.

B. ANDREAS DE CHIO M.
29. Maii.

ANDREAM habes Mariæ , ut paucis
dicam , corculum. Juvenis annos
natus XXVII. cum febri astuaret , vovit,
si Virgo salutem donaret , sese ei invicem
castitatis florem donaturum. Voti dam-
natus integritatis propositum palam
candidâ veste professus est , ut orbis sci-
ret Virginis eum candidatum esse , & ve-
stium nives virginis animi essent indi-
ces. Et quidni sic candidatus martyrum
etiam honores prensaret ? Enimvero
Constantinopolim abiit eo ipso tempo-
re , quo fidem Christi prodidit , nescio
quis , philosophus. Quisquis fuerit ,
hoc etiam nomine indignus fuit. Cer-
tè potuit barbatus histrio à juvenc.

Y 4

A N-